

# **Trois actes faux ou interpolés des comtes Eudes et Robert et du roi Raoul en faveur de l'abbaye de Marmoutier, Nr. 1**

Cuicumque ecclesiae Dei, etc ... Ego humilis miles Christi Odo per largitiones domni Karoli imperatoris comes, necnon et rector abbatiae Beati Martini Maioris Monasterii quae sita est super fluvium Ligeris, cum sisterem infra muros Turonicae civitatis, subito veniens grex praefati monasterii, terrorem mihi magnum incutiens, prostraverunt se unanimes solo ante pedes meos, deprecantes quatenus, ob misericordiam Dei et reverentiam Sancti Martini patroni nostri eis subveniret nostra misericordia, quia paene locus ille ubi traditi et tonsurati fuerunt et ordinati ad Dominum deserviendum ad nihilum redactus est, ac villae quae eis attributae fuerant, ex quibus victus eis et potus ministrari debebatur iniuste subtractae erant; et quia ad praesens non erat locus emendandi nec tempus permittebat, timentes ne iniquius eis accideret, super paupertaticulam quam ad praesens in suo habebant dominio ..... absque ullius inquietudine in eorum pie maneant usibus seu utilitatibus, scilicet Brias, Cambonne, necnon et Tolaicus, cum omnibus appenditiis et adiacentiis earum cum piscatoriis, tractis omnibus, necnon portum utriusque ripae. Et ut libentius pro nobis et universis catholicis ad statum regni Christianorum Dei misericordiam implorare queant, addentes ut super domos et areas necnon hortellos eorum tam infra monasterium quam infra civitatem adiacentes similiter nostrum eis subveniret auxilium, una cum auctoritate firmissima et omnibus notissima velut habent fratres congregationis Sancti Martini basilicae. Quorum precibus fletibusque compunctus, libenter concessi eis quicquid iuste petierunt, una cum consensu domni Adalardi pontificis et fratrum congregationis Sancti Martini basilicae ac fidelium omnium nostrorum; et si vita fuerit comes, maiora tribuam, scilicet ut deinceps ex mansione ac area necnon horto suo unusquisque licentiam habeat tribuendi cuicunque de fratribus suis voluerit, et praedictas villulas nullus invadere neque dominare nec ministros seu praepositos mitti praesumat neque in aliquo subtrahere. Deprecor atque contestor omnes successores meos omnibusque fidelibus sanctae Dei ecclesiae qui diverse futuri sunt per annorum curricula ita hanc meam auctoritatem sinant manere stabilem, veluti optant ac desiderant habere vitam perpetuam. Et si, quod absit! aliquis, huius rei, Christianorum, violator extiterit, nec citius se correxerit, primitus iram Dei omnipotentis incurrat, exclususque a grege Christi, clavigero eius, scilicet Sancto Petro resistente, in cuius honore Sanctus Martinus ibique fabricaverat ecclesiam existat. Ut autem haec auctoritas a me verius certiusque credatur edita, et a fidelibus Dei reverentius ac firmius, sicut supra insertum est, ac vigilantiis conservetur, manu propria eam subterfirmavi ac dominum Adalardum pontificem reliquosque quamplures nobiles viros similiter subterfirmare rogavi. Signum Odonis comitis, seu abbatis utriusque congregationis qui hanc auctoritatem fieri et adfirmare rogavit. Signum Rotberti comitis consentientis. Signum Rotberni. Data in mense decembris, anno quo mortuus fuit Karolus imperator. Hildesaldus presbyter, iubente Odone comite.